Beck

EDUARDO WOELFFLINO,

Professori MONACENSI

NATALICIA SEXAGESIMA

GRATULATUR

SCRIPTOR.

OBSERVATIONES

Criticae et Palaeographicae


AD

FLORI EPITOMAM DE TITO LIVIO.

SCRIPSIT

Dr. J. W. BECK,

Groninganus.



TYPIS JACOBSIANIS. — GRONINGAE.

CIƆIƆCCCXCI.

Legenti M. Antonii Mureti *Varias Lectiones* virique eruditissimi sermonis venustatem et suavitatem admiranti multi laboris atque sudoris multi esse videtur de rebus quibuslibet et plane dilucideque et exquisite latineque dicere. Cuius tam fusum est tamque expeditum scribendi genus ut, quae in eo laudanda sint, habeamus permulta, quae vituperanda fere nulla. Si quis vero putet simplex rectumque dicendi genus imitatores posse allicere, laudatores vix posse, vehementer errat. „Hoc enim est optimum, quod cum te facile credideris consequi imitatione, non possis." Facilius autem est multo flosculis undique decerptis orationem ornare et rem, quam persequimur, verborum ac sententiarum gravitate obruere. Sententias cum breviter acuteque tum ornate atque emendate explicare, romana simplicitate loqui, quam difficile sit, quis ignorat? Muretus quo, ut ait Ruhnkenius [1]), nemo inter recentiores, si Latinitas spectetur, scriptor emendatior est, Ciceronem cum sequeretur, non tamen omnibus eius vestigiis insistebat et qui dicendi genus huius oratoris praecipue coleret, Ciceronianus appellari nolebat[2]). Orationis elegantiam et acumen Mureti omnes laudent, hoc nemo laudabit, quod persaepe, uti siccitatem orationis effugeret, argumentis admodum exilibus niti quam in intimos angulos penetrare malebat.

Hoc loco non alienum est in memoriam revocare, quae Quintilianus [3]) scite acuteque dicit de imitatione et de ratione scribendi in libro decimo Institutionis oratoriae. Quod opus etsi suscepit ille eo consilio, ut oratoris futuri studia ab infantia formaret, omnes, qui nostra aetate ad scribendum se conferunt, ex his libris praecepta sibi colligere possunt: *Non qui maxime imitandus, et solus imitandus est — Non semper putemus optimum esse quod latet: immutescamus alioqui, si nihil dicendum videatur, nisi quod non invenimus — Illa quoque minora (sed nihil in studiis parvum est) non sunt transeunda — Ne latas quidem ultra modum esse (ceras) velim.*

1) In praef. Mur. opp.
2) Mureti Var. lect. XV 1.
3) 10, 2, 23 sqq. 10, 3.

Annalium scriptorem quid magis decet quam res gestas simpliciter sincereque narrare? *Quicunque* — Mureti sunt verba [1] — *ab illa naturali simplicitate discedunt, veniunt nobis in suspicionem, quasi decipere nos ac circumscribere moliantur.* Quantum iam differt a praestantissimis illis scriptoribus latinis Annius Florus. Qui, ut sperabat, non nihil ad admirationem populi romani collaturus, ut simul et ipse in admiratione esset, omnia fere, quae excogitari poterant, artificia et argutias arripuit libellumque suum calamistris inussit. Et tum cothurno gallicano incedere, tum tumorem africum imitari, tum romanam gravitatem vel leporem atticum diligere videtur. Non quaerit, quid scribat, sed quemadmodum [2].

Inflatum illud tumidumque scribendi genus, quod Hadriani aetate florebat, studium istud, ne dicam cupiditatem, speciosis verbis aut falsa aut nulla omnino proferendi [3], non sine laude consecutus est ipse ille Florus [4].

De quo viro quid post Iahnium et Halmium senserint viri docti, qui scire cupit — nam actam rem agere quis velit? — ei perlegenda sunt primum, quae Eussnerus annotavit [5], deinde ex Preussii Biblioth. scr. class. pauca adicienda neque praetereundi libelli, qui his decem annis emissi sunt [6].

Neque frustra tot viri libellum Flori tanquam silvam densam diversis itineribus perlustraverunt. Atque hoc praecipue eos fecisse puto, ut ducem Bamber-

---

[1]) Var. lect. VII, 8.

[2]) Seneca, Ep. 115, 1.

[3]) Quint. 10, 1, 125—131; 8 pr. 24, 25; 8, 2, 20: Pessima vero sunt ἀδιανόητα, quae verbis aperta occultos sensus habent . . . . : ingeniosa haec et fortia et ex ancipiti dicta creduntur, pervasitque multos iam ista persuasio, ut id iam demum eleganter atque exquisite dictum putent quod interpretandum sit. Cicero, Brut. 75, 262 (de Caesaris comm.): nihil . . . est in historia pura et illustri brevitate dulcius.

[4]) L. Spengel, Über die Geschichtsbücher des Fl. Abh. d. k. ak. d. W. I cl. IX Bd. II abt. p. 319. Reber, das Geschichtswerk des Fl. 1865 p. 41 sqq.

[5]) Philol. 34 Jahresber. 166—177; 37, 130—146.

[6]) Thomé, de Flori rerum scriptoris elocutione, Frankenstein, 1881; Egen, de Floro historico elocutionis Taciteae imitatore, Monasterii 1882; Bieligk, de casuum syntaxi a Floro hist. usurpata, Halis Sax. 1883; Opitz, In Iulio Floro specilegium criticum, 1883; Goertz, Quaestionum criticarum de Iulii Flori codice Nazariano P. I et II, 1883; Teuffel, R. L. G.[5] 348.

Venit mihi in mentem loci illius memorabilis apud Wyttenbachium in vita Ruhnkenii p 238, ubi ii, qui omnes ineptos homunculos ac terrae filios, si locum aliquem tractando attigerint, ad partes vocent, iure irridentur. Sed aliud est perquirere, quid viri docti ante nos de aliqua re iudicaverint omissis nonnullis nugis et ineptiis, aliud gravissimos etiam testes et auctores neglegere atque stolidā fiducia ridicule et pueriliter peccare.

gensem, quem Iahnius et Halmius pervagantibus elegerant, non satis fidelem esse ostenderent. Quod cum multi viderint, tamen hoc unum inquirere neglexerunt, quid ex iis codicibus, qui adhuc aut non erant excussi aut certe non ea, qua decet cura ac diligentia erant collati, utilitatis possent percipere. Cuius rei ego initium faciam. Accedit quod recentiores editiones criticas, quae dicuntur, eorum scriptorum, qui aut Florum secuti sunt (Zangemeisteri *Orosium* et Mommseni *Iordanem* dico) aut qui cum eo ex isdem fontibus hauserunt (*Pseudo-Victor,* de viris illustribus, ed. Wyga), plerique in usum vocare non potuerunt.

Hoc omnes iam mihi assentiuntur, quamcumque rationem in emendandis scriptoribus latinis optimam ducunt, non immemores Mephistopheli illius Goethiani facete et defricate discipulo viam ad optima studia monstrantis, levem pugnam esse iis, qui verbis pugnent. Neque acumen, quod vulgo dicitur, in excogitandis vel exsudandis novis lectionibus isdemque supervacaneis, sed inprimis consilium atque rationem in falsis delendis ostendere, subtiliter de rebus disputare omniaque scientiae pervestigatione comprehendere nostrae aetatis est. Et si quid reppereris, quod aut delendum aut mutandum esse putavi, ne ad meum arbitrium, sive quod mihimet ipsi olim valde arridebat, sive quod aliis quoque arrisurum callidum lepidumque inventum veri simile erat, quidquam mutatum esse credideris, sed quia re diu multumque deliberata ratio necessitasque, ut ita fieret postulavit.

* * *

Libri manu scripti, quos adhibui, hi sunt [1]:

Cod. Leid. Voss. lat. 77 membran. in oct. 91 ff. saec. XIII. Manu recenti in superiore parte f° 1 inscriptum est *historie romane abreviate.* Sequitur Flori epitoma de Tito Livio usque ad f. 82ᵛ *consecraretur.* — ff. 83—90ᵛ nulla inscriptione adiecta continent Livii periochas. — f. 91 *Iste libellus historiarum est venerabilis conventus Casedei quem precariarum nomine teneo | Franciscus Dantani* (cf. f. 90ᵛ in medio: *S. casae dei abbas dilecto fratri suo R*).

Hunc librum non eadem manu neque nitide scriptum complures homines suis annotationibus ornarunt: manus satis vetusta non paucas observatiunculas nullius pretii adscripsit et ad res illustrandas hic illic locos assimiles Ovidii, Iuvenalis, Lucani commemoravit. Praeterea manus recentior alios locos emendavit, alios, quorum vestigia

[1]) Lectiones Codd. Bambergensis et Nazariani secundum editiones Iahnii et Halmii datae sunt, quamquam certo scio Nazariani lectiones perfecta nondum diligentia traditas esse.

pauca aetas reliquerat, retractavit atque appinxit. Sed quisquis fuit, qui scripsit hunc librum, et ipse vocabula leviter corrupta sua manu restituit.

Hic liber a Dukero num. 1, a Drakenborchio num. 4 designatus est. Sed moneo ne lectionibus a Dukero laudatis confidas.

Cod. Leid. Voss. lat. 14 membran. in oct. 77 ff. saec. XI. f. 1: *Incipit liber primus epitomarum Annei Flori de Tito Livio.* — f. 72: *L. Annei Flori epitoma de Tito Livio explicit liber IIII. De Tito Livio ab urbe condita* (sequuntur Liv. periochae).

Codex primo aspectu similis est ei, quem Dukerus num. 2 designavit, sed lectiones non accurate expressae suspicionem movent virum doctùm hunc librum ante oculos non habuisse[1]).

Cod. Harleianus 2620 membran. in quarto 46 ff. saec. XI, continet f. 1—43 Flori epitomam — f. 43—46 est epitome librorum VIII Titi Livii + Liber Hospitalis Sancti Nicolai prope Cusam (saec. XV).

De rebus orthographicis, de scripturae compendiis et de lectionibus codd. Voss. apud Dukerum ad appendices religandi sunt harum rerum cupidi. In perhibendis lectionibus intra certos fines coercendam esse varietatem, quae in singulis est vocabulis, intellexi, praesertim cum urbis nostrae typographorum officinae innumerabili illa copia notarum non sint instructae. Ubi tamen periculum erat ne lectio tradita, quamvis levis per se ipsa, neglecta a veritate abduceret, quanta potui diligentia, annotavi eam vel verbis expressi.

Codices Vossianos liberalitate viri humanissimi, qui bibliothecae Lugduno-Batavae praepositus est du Rieu, Groningam transmissos ipse contuli. Et tam longum tempus iis mihi uti licebat, ut, pro eius erga me benevolentia quin iterum gratias agam, facere non possim.

Sed ne beneficiorum videar immemor, nomen eius, qui in eadem bibliotheca munere Conservatoris Mss. fungitur S. G. de Vries, viri doctissimi mihique amici silentio non praetermittam. Qui qua semper est in me comitate, in his quoque

[1]) S. G. de Vries ad me scripsit sibi quòque videri Dukerum Voss. 14 non vidisse; si viderit hunc librum, eum alterum ex duobus reliquis, qui etiam Vossiani dicantur, non adhibuisse. Dukerum enim testari (praef. ² p. * * 8) se tres Vossianos habuisse, ex quibus tamen unus (3) chartaceus fuerit. Neque igitur illum esse unum ex tribus Vossianis; veri simile esse tertium illum Vossianum?! apud D. fuisse Cod. bibl. publ. lat. 19 et Dukerum errasse utpote qui Leidensi cod. falso nomen Vossiano dederit. — Codicem Voss. 5 (Cods. Vossiani 14 gemellum) percensui, non contuli.

rebus neque consilio neque opera mihi deerat. Itaque factum est, ut editiones veteres cum annotationibus manu scriptis Is. Casauboni, Is. Vossii, Iac. Gronovii, Iac. Perizonii percensendi mihi daretur facultas.[1])

Harleianum arripui monitus annotatiuncula Baehrensii — fato eheu nimis duro nobis erepti. Qui cum a. 1875 die XXIII m. Apr. Londinii in Mus. Britannico versaretur, complures ibi examinavit codices, in quorum numero erat ipse ille Harleianus, de quo in Iahnii editione, quam secum tulerat, in folio primo v. haec annotavit: *codex Harleianus 2620 saec. XI—XII, ff. 46, L. Annei Flori libros IV continet et Livii epitomen. Inscriptio deest. Liber ille cognatus est cum Nazariano dignissimusque qui accuratius conferatur, cum familiae illius proprias lectiones saepe multo fidelius puriusque quam Naz. praebeat.*

Sed ille cum contulisset huius codicis partem valde exiguam, alienum auxilium imploranti mihi succurrit vir optimus et summa benevolentia praeditus Maunde Thompson, Mus. Brit. praefectus. Is alias lectiones ipse mecum communicavit, alias collectas a viro harum rerum perito ad me statim mitti iussit, ut de auctoritate et pretio huius codicis dubitari non possit.

Quid de his libris in Florum recte interpretandi studio equidem censeam, quo vinculo cum Bambergensi et cum Nazariani classi sint coniuncti, in disputatione, quae inscribitur: Zur Würdigung der Leidener Florus-handschriften codd. Voss. 14 und 77[2]) exposui.

Veritus ne vir clarissimus, cui hoc opusculum qualecumque dedicavi, acta me ipsum agere, exclamaret, quae in eo commentario enarraveram, hoc loco quam maxime reprimenda esse existimavi; testimonia eo loco omissa vel omittenda hic colligere et uberius aliquanto fusiusque rem demonstrare oportet.

At tamen illa quaestio, quae est de codicibus, artissime cohaeret cum alia re, quam breviter perstrinxi, eam dico quae versatur in iis scriptoribus, quos Florus secutus est quique eum descripserunt vel cum eo ad eosdem fontes se contulerunt.

Florus aut exscripsit aut secutus est aut saltem ita legit ut flosculis quamvis

---

[1]) Absoluta hac disputatione segregavi, quod ab illis viris iam dictum erat. Ne nimis cresceret libellus meus, necesse erat effugere me ea, quae non arte cum iis rebus, quas hoc loco pertractavi, essent coniuncta. Verum sunt permulta in his editionibus, quae neglegere futurus editor non debet.

[2]) Commentationes Woelfflinianae p. 161—167. (Corrigas velim: p. 164 B *urbe regibus*, p 167 v. 7 post *ad quem* del., quae intra uncos scripta sunt et annot. 3; v. 8 del.: *in comparationem*).

paucis libellum suum conspergere non dubitaverit: Livium (sed interdum etiam ex eodem quo Livius fonte hausit), Sallustium (praecipue bellum Catilinae); Lucanum, Tacitum[1]); inter eos, qui Florum adhibuerunt, sive quod eum ad verbum describebant, sive quod data occasione exiguas partes intexebant, inprimis referendi sunt Augustinus[2]), Orosius, Iordanes, qui in priore parte opusculi sui de rebus romanis Florum non tam sequitur quam assectatur atque fideliter exprimit (cf. pag. 23).

Quod ad Ampelium et Pseudo-Victorem, de viris illustribus, si qua est inter eos et Florum similitudo, ea auctoribus, quos adierunt, iure attribuenda[3]).

Sextum Rufum in Breviario ipsum Florum excerpsisse non apparet ex locis ab Eussnero collatis[4]). Ne hoc quidem mihi satis constare videtur habueritne Rufus plane eosdem auctores atque Florus necne. Fieri autem potuit, ut Florum ipsum semel vel bis sequeretur. Quibus de causis potius cum Teuffelio et Wagenero facio. In fontibus investigandis nemo celerius in errores inducitur quam is, qui nimis verba et litteras captat.

Prudenter igitur et pedetentim inter illam testimoniorum farraginem ex scriptoribus, quos laudavi, desumptorum interque codicum lectiones, quae utrum ex Floro an a librariis sint ortae, interdum ne subtili quidem disputatione diiudicari possit progrediendum est.

De codicum pretio et auctoritate sententiam ferre saepissime non unius aetatis est, ne dicam unius viri. Est ubi iudices plures dandi sint, qui lectiones codicum, quos diligenter excussos, quispiam ex magno librorum numero quasi fundamentum apparatus critici sibi elegit, singulas aestiment perquirantque quid genus dicendi scriptoris cum ipsius fontibus et rivulis flumine deductis comparatum, quid ratio poscat, ne nimios honores iis, qui honore non digni sint, tribuamus.

---

[1]) Philol. 37, 130sqq. 29, 557; Egen, supra.

[2]) Pirogoff, de Eutropii breviarii ab u. c. indole ac fontibus. Part. I Berolini 1873 p. 87sq.

[3]) H. Haupt, de auctoris de vir. ill. libro quaest. hist. 1876.
Hildesheimer, de libro, qui inscribitur de vir. ill. urbis Romae quaest. hist. 1880.
Rosenhauer, Symbolae ad quaest. de font. libri, cet. 1882.
Ennmann, Ann. Phil. 1883 Suppl. IV 460.
Vinkesteyn, de fontibus ex quibus scriptor. libri de v.i.; cet. 1886.

[4]) Philol. 37, 154—161.

Amore cod. Bambergensis paulatim refrigerato Baehrensius in Mus. Rh. XXX 629 haec admonuit: Je mehr man . . . anfängt, die Lesarten beider Klassen (Bamb.-Naz.) prüfend gegen einander abzuwägen, um so mehr sollte man darauf bedacht sein, zu untersuchen, ob denn das von Jahn für die zweite Klasse gegebene kritische Fundament ein sicheres und genügendes ist. Der Naz. leidet ja offenbar an vielen und starken Verderbnissen, welche nicht der Ueberlieferung seiner Klasse, sondern einzig seinem Schreiber zuzuweisen sind. Es muss also die Aufgabe dessen, welcher eine neue kritische Ausgabe des Florus unternimmt, die sein, jene zweite Klasse frei von den spätern zufälligen Verderbnissen so zu reconstruiren, wie sie (wohl am Ende des Alterthums) aus der Hand eines Grammatikers hervorging. Es müssen also neben dem Nazarianus noch andere möglichst alte Vertreter jener Klasse herbeigezogen werden.

Haec est multorum errorum causa atque fons, quod Iahnius suum Bambergensem non lectionibus unius classis, sed lectionibus unius eiusdemque depravati libri unius familiae ponderavit. Quo factum est, ut, si forte Nazar. sive casu sive neglegentia librarii erat corruptus, Bambergensis novam laudem, quamvis non iustam, sibi pareret. Hanc viam semel ingressus novaque quaerens argumenta, ut sententiam firmaret, novum instituebat certamen, ex quo Bamberg. saepius, rarius Nazarianus victor discedebat (praef. p. XXI—XXIV). Si certamen fuisset de genere et maioribus, nescio uter palmam fuerit laturus.

Inprimis Zangemeisteri verba legenda sunt in praef., quam conscripsit ad Orosii histor. p. XXVI[1]). Quid, si in Iordanis libris inveneris locos complures, qui non cum Bamberg., sed cum altera classi congruunt? Quid, si tantum numerum interpolationum in Bamberg. detexeris, quae scioli cuiusdam manum prodant? Sed iam tabula a me confecta proponenda est. Maxime enim interest lectiones Bambergensis quam plurimas atque testimonia ad hanc causam accommodata cum Nazariani et tertiae familiae, quam ex Vossianis et Harleiano constare nunc quidem sentio, diligenter examinare. Quas lectiones, mihi credite, non eo consilio elegi, ut auctoritatem Bambergensis infringam, sed ut hoc demonstrem, alterius classis,

---

[1]) *Orosius cum his* (Heidelb. 894=Nazarianus, et 1568) *potius quam cum Bambergensi consentit, indeque eius recensionis, nimis opinor huc usque neclectae, vetustas certo asseritur.*

quantum nunc scimus, codices Leidenses Vossianos et Harleianum subsidium esse non parvi pretii, qui ad hunc diem aut neglecti aut non φιλολογικῶς excussi iacuerint. Ex ducentis[1]) fere locis, qui qua medicina egeant certissime constat, * * in cod. B sunt corrrupti aut interpolati (interdum corruptela interpolationem traxit), * * veri simile est non praebere veram lectionem. Isdem locis Naz. aut saepius integer est aut aeque ac Bambergensis habet corruptelam sive eandem sive aliam. Sed haud raro tertia familia (Vossiani + Harl.) aut sola integra est aut tum N[i] tum B[is] in bonis aemulus. Atque animadvertendum vestigia necessitudinis vel proprias archetypi primi ordinis lectiones — ex eo omnes libros fluxisse Iahnius demonstravit — praecipue eius necessitudinis, quae est inter B et V, non plane interisse[2]). Quia hic liber V permultis locis a B discedit et ita discedit, ut statim eum sequi nobis necesse sit, Orosius saec. V[o] vidit exemplar Flori classi alteri cognatum, atque Iordanes etiam non raro hanc alteram classem sequitur, — Bambergensis archetypum non semel passum esse correctoris manum perspicuum est.

Quod si ita res se habet, de arte critica in Flori libello recte facienda nondum omnia sunt dicta. Est Bambergensis semperque erit magnae utilitati futuro editori. Sed nostra aetas diligentissimum et subtilissimum manu scriptorum librorum studium requirit, penetrat illa in intimos scribendi generis angulos omnium scriptorum omnium temporum, grammaticam, quam dicunt, historicam linguae latinae neglegere non audet, eruit illa significationem verborum a cunabulis usque ad extremum tempus, ut breviter dicam: philologia, quam nos dicimus, non verbis, sed argumentis solis contenta est iisque quae sint, non esse videantur.

Quoniam auctoritas cod. B valde imminuta est et ipse alteram classem non

---

[1]) De numeris cf. tab. in fine.

[2]) *hac* (=*ac*) *8,9*; *23,8*; *30,16*; *42, 26*; (*31, 25 magestas* V); *47, 26* (*magestatis* B); *106, 14*; *12, 18* (*g*); *h*(*a*)*ec 26, 25*; *nactus 28, 1*; *61, 26*; *cohorta 40, 12*; *hodio 49, 20*; *hisque 58, 2*; *titulus 66, 4*; *Xersen 43, 15*; *44, 21*; *111, 2*; *archanum 67, 6*; *habundaret 68, 10*; *Ptolomeus 70, 19*; *ammissae 47,23*; *hostia 89,6*; *hoc, hos 99,12*; *hostio 102,21*; *misi 115,3*; *vibio 116,12*; *victus 15,1*; *pararetur 16,6*; *humero 23,17*; *lyrim 23,3*.

In Codd. VvH 123,15 *quasi victoria permaneret*, N *victoriae pertineret*. Orosio VI 21,29 teste *Parthi ... quippe quos pristina ulciscendae Crass. caedis conscientia mordebat, ultro signa, quae Crasso interfecto abstulerant, ad Caesarem remiserunt*. Et his verbis simillima est vulgata lectio *quasi victoriae paeniteret*. Sequitur ut in archetypo hic locus non iam fuerit perspicuus librario. Causa corruptelae in N videtur orta esse ex vocabulo *peniteret* vitiose scripto (petineret); an codd. Vv H lectio *quasi victoria permaneret* (l. *permoveret* = eos sollicitaret) retinenda?

iam antecedit, sed paribus gressibus prosequitur, quaerendum est annon a librario Iulius Florus appellatus sit, cui gentile nomen inditum erat Annius[1]). An unius testis testimonium, quod quale sit cognovimus, tribus vel pluribus testibus anteponere licet, qui tantis vinculis cum archetypo primi ordinis coniuncti sint?

* * *

Transeamus ad praefationem a Iahnio conscriptam, quam ii, qui via ac ratione libros mss. in veteribus scriptoribus emendandis adhibere solent, neglegere neque debent neque possunt, ut servato ordine a Iahnio instituto cerula miniata notemus, quae notam flagitent.

Habent codices mei eandem lacunam, quae Nazarianum occupavit 110, 1—24, ubi B nulla lacuna depravatus est. Quod nescio an ceterorum librorum dignitatem imminuerit. Sed quia in cod. B fine Iahnio teste multa vitiose scripta multaque erasa sunt et librarius 123,1 in vocabulo *profund* substitit, auxilio alterius classis indiget idem Bambergensis. In v et H ordinem eodem modo conturbatum atque in N reperimus. Contra in V omnia loco sunt posita. Quamquam hoc non facile enucleari potest, utrum librarius ex libris pluribus turbatum ordinem restituerit an ipse in suo exemplari hunc ordinem invenerit:

64,24 V: *mox subruto pyrei portu sex quoque et amplius muris postquam domuerat ingratissimos hominum ut ipse dixit in honorem tamen mortuorum sacris suis fameque donavit.*

Etsi a Bambergensi paulum recedit V, suo loco leguntur haec verba.

66,16 V post *hostem* subiungit: *colchos sicilie quoque litora et campaniam nostram subito adventu terrere voluit*, deinde pergit: *colchis tenus.*

68,5 V: *prius sicilla quoque ante felix dignus nunc victoria pompeius visus est et.*

46,7 V: *reliquie gallorum quibus brendno duce vastaverant greciam.* Hoc loco V solus vestigia sequitur B[is], nisi quod cum altera classi *quibus* retinuit. Rectumne an falsum sit illud *quibus*, si quis ex me quaerat, respondeam Gallos non semel Graeciam vastavisse, sed saepius Brenno duce in Graeciam vel in Macedoniam vi irrupisse (Iustinus 24, 4 sqq.). Itaque aut omnia me fallunt aut *qui bis* scribendum. Corruptum illud *bus* a Bambergensis librario deletum est. Et idem factum esse 42,12 infra ostendam.

---

[1]) *Anneus* vel *Annaeus* in antiquissimis libris (cf. G. Becker, Cat. bibl. ant. Index p. 311).

Verba Flori longe emendatiora tradidisse codm. Bambm. quis hodie concedat? Iordanis libri haud multum differunt ab ea classi codicum, ex quibus Bambergensis est ortus. Nam etiam in pravis sunt comites. Huius rei ut unum saltem testimonium gravissimum afferam, elegi 26, 3: *portu atilio* B, *post uatilio* I (*r* et *s* saepius confunduntur), sed VvN *portu m atilio* — recte. Neque praetereundum est quod iis locis, ubi I solus veram lectionem servavit, V quoque (praef. VIII) integer est, nisi forte 38,12 V interpolatus est *in* mutato in *a (pepulit a Campania sua* vV). Quin 15, 4, ubi B *menenius*, Nv *moenibus* — V (+ H) cum Iordane habent *menius*, veram lectionem (cf. Duker p. 304).

Consensum illum Iordanis et Bambergensis si quis putet permagni aestimandum esse neque temere spernendum, iterum moneo Bambergensis familiam (pag. 8) paulo post Orosii aetatem ipsam commaculatam esse manu interpolatoris. Iahnius (praef. XII sqq.) pauca vitia Bambergensis detegit et in B incuria quaedam esse corrupta profitetur. Numerum autem, si diligenter inquiras, facile augeas. In aestimandis lectionibus cod. N + I (praef. XIII) non habet Mommsenum asseclam. Nam ut 20, 27 *in ipsa Samnio* et 39, 23 omittamus[1], Mommsenus lectiones IN (=Vv) in editione sua Iordanis opusculi, quod Romanorum res gestas continet, approbavit, Bambergensem non audiit. Praeterea (praef. XIV) si cod. N lectiones (=Vv) comparabimus, nemo fere invenietur, quin suspicionem quandam habeat de illo Bamb. librario (vel qui eius exemplar confecerat). Hae sunt fere omnes interpolationes graviores, quam quae ex librariorum officinis proficisci soleant. Et multas alias infra colligemus (pag. 18 et 19). Non igitur librarii dormientis fuit hic labor, sed viri cuiusdam in lingua latina non rudis, qui nescio qua causa adductus, addidit, mutavit, correxit.

Itaque cod. N in tali rerum statu artis criticae subsidium est, ad quod in rebus dubiis confugere debeamus. Et confugerunt ad Nazarianum inprimis Koehlerus, Sauppius, Opitzius, Goertzius, qui intra suos fines coercenda esse haec studia intellegebant. Nempe ut Iahnius in aestimando cod. B modum transierat, ita periculum erat ne alii in despiciendis bonis quoque lectionibus ultra fines progrederentur. Quam ob causam circumspiciendum est quomodo ex his rebus nos expediamus. De pretio et auctoritate cod. Nazariani recte quid ubique statuendum sit diiudicari non poterit, nisi eiusdem classis alios libros manu scriptos summo studio

---

[1]) *a* et *o* persaepe confunduntur; altera lectio non vera est: I = B.

pervestigaverimus. Habet enim sua vitia liber ille Heidelbergensis, quae, ne fundamenta in aqua posuisse arguamur, caute segreganda sunt. Quod tum demum fieri poterit cum lectiones, quae nobis idoneae videbuntur et Bambergensis et Nazariani et novae familiae Nazariani proximae, inter se comparatae erunt. Duos locos in Nazariano omissos reperies in VvH 82, 6 et 28, 23 (praef. XIV sq.). Sed quae 61, 20 *venere — vestigia* desiderantur in B etiam desiderantur in Vv. Neque omiserunt Vv, quae Iahnius (praef. XV med.) 118, 26—119, 2 commemoravit, ubi B solus habet lacunam. Postremo librarius B interdum in describendo oculis aberravit, quod in altera classi non factum esse animadverti (praef. XV ex., XVI in.), ut in his locis N cum Vv integram lectionem servaverint. In omnibus libris hic illic vocabula sive casu sive neglegentia librarii omissa sunt, quae tamen aliud ex alio libro perfacile substituas.

Dubito an Iahnius in disputatione, quae sequitur (praef. XX sqq.), non multum profecerit, qui in codice antiquissimo, ex quo tam B quam N derivati esse ei videbantur, quaedam explicandi gratia superscripta fuisse sibi persuaderet: inde factum esse, ut postea utrumque in verborum ordinem a librariis describendo reciperentur. Haec praefationis pars ad persuadendum non satis accommodata est, quia lectiones totius classis, non unius Nazariani, cum lectionibus alterius classis, non cum unica huius classis subole, comparari debuerunt. Fieri potest ut in exemplari aliquo sint quaedam superscripta, sed certum est hoc non isdem locis simul in Vossianis et in Harleiano vel in Bambergensi esse factum: ut planius dicam, non erat archetypi proprium sed unius vel alterius libri. Accedit quod sermonis argenteae aetatis non omnibus locis rationem habuit — id quod non Iahnio vitio dandum est.

Ceterum scriptores, quos Florus aut ipse secutus est aut qui eum secuti sunt, non postponendi erant, propterea quod hi plerumque exemplaria veterrima versabant atque alius ex alio facile suppleri potest. Quibus de causis, cum acumen viri ingeniosi mirandum sit, rationem, quam non nunquam secutus est, comprobare non licet.

Ut non magis verbis certare quam argumentis niti videamur pauca pro nostra sententia sunt dicenda:

praef. XXI	B	X	N	Vossiani
29,6	*quatenus nec mole iungi nec pontibus*	*nec mare* *quatenus nec mole*	*quatenus nec mare et nec mole iungi nec pontibus*	*quatenus nec mare iungi nec pontibus*

Apparet esse in altera classi corruptelam [1]), qua *mare* et *mole* confusa sunt. Sed vides non totam classem vocabulo illo apposito inquinatam esse, quia Vv + H habent *mare* (ex *more* factum). Repperit igitur N librarius in suo exemplari, quae temere subiunxit.

		vel		
39,23	*saltem oculis*	*saltem oculis*	*saltem vel oculis*	= N

Hoc loco *vel* eiecit Iahnius Bambergensem + I^m sequens. Cur non delevit alterum utrum vocabulum in his: 52, 5 *simul pariter*, 31, 2 *mox deinde*? Est supervacaneum illud *vel*, sed scriptor corrigitur[2]).

		mare		
63,22	*in sinistrum*	*in sinistrum*	*in mare sinistrum*	= N

Concedo non venuste dicta esse: *Ponticae gentes ad septentrionem in mare sinistrum iacent, a Pontico cognominatae mari* [3]). Hoc tamen moneo in *a Pontico mari* Florum ad partem priorem *(Ponticae gentes)*, non ad alteram respicere. Unde fit, ut adiectivum vi quadam antecedat. Eius modi corruptela B inquinatus est 91, 25, ubi NVv recte *ad populationem agrorum*, B correxit *a populatione sacrorum* (*acrorum* ex *agrorum* addita littera *s*, a librario pro viribus consarcinatum est). De *iacere ad Hesperum*, *ad meridiem*, *ad septentriones* cf. lexicon et Florus 123, 5. *Mare sinistrum* factum est ut *mare et intestinum et externum* 102, 27, omittitur *mare* si nulla dubitatio est: *inter rubrum et Caspium et Oceanum* 67, 13. Asiam intranti erat Ponticum *mare sinistrum*, sed apud Ovidium Trist. II 197 *hactenus Euxini pars est Romana sinistri,* per enallagen *pars* et *sinistri* (*a*) coniungenda sunt.

		cimbrica		
89,10	*ut in punica urbe*	*ul in punica urbe*	*aut in punica aut in cimbrica urbe*	= N

In B *ut* corruptum est (*quāut* haplographia?). Quid in his: *saevius quam aut in Punica aut in Cimbrica urbe saevitur* improbandum sit nescio. Quod alii non scribunt, Florus scribere audet; poetico ingenio et miro res augendi studio incensus verba magna captat et hic sibi fingit urbem illam cimbricam, ut idem P. et Cn. Scipiones Pyrenaeum transeuntes facit[4]). Si Floro credimus 7,16 Romulo

[1]) De causa huius corruptelae cf. Salmasium apud Du., Schuchardt Vokal. I 136 et tabulam meam ad hunc locum, ubi plura testimonia addita sunt.

[2]) De cumulatione adverbiorum cf. Thomé 9, Egen 48, Wölfflin, Archiv VI 6, Reisig-Haase 839 et inprimis Sittl, die lokalen Versch. 98.

[3]) *a septentrione in sinistrum* B.

[4]) Reber p. 18—32.

regnante *in ipso foro* pugnatum est. Ps.-Victor, de viris ill. 2,7: *eo loco, ubi nunc forum Romanum est.* Liv. I 12,8 mutavit etiam ea verba, quae cum Floro et Ampelio 39,1 et Victore ex communi fonte hauserat. Aug. de civ. dei 3,13 = Florus.

Deinde se convertit Iahnius ad 6,27, ubi, Bambergensis ut palmam ferat, ad artificiosam quandam interpretationem descendit. Quae nostra sit sententia expositum est in Comm. Woelfflin. 166. Sed operae pretium est eruditam Graevii disputationem apud Dukerum de verbis *increpare saltu* perlegere.

	X	B	N = Vv
30,8	*prae tanta huius* *proelii* *victoria leve*	*prae tanta victoria leve huius proelii*	*prae tanta huius victoria leve huius proelii*

Iahnius in editione sua induxit *huius proelii* contra BNVv (I). Non agnovit flosculum, ut ita dicam, rhetoricum Floro dignissimum (antithesin, anaphoram):

prae *tanta* **huius** victoria *leve* **huius** proelii damnum fuit.

31,4	*prima* *prooemium belli fuit civitas*	*prima premium belli fuit civitas*	*prima belli praemium fuit civitas*

Florus 41,26 *praemiumque victoriae Africa fuit*, Oros. IV 17,5 *in conspectu Romae praemium victoris futurae,* Ampelius 46,2 *praemium fuit . . . Siciliae possessio. Prima* vi quadam iteratur in sequente sententia: *prima enim a Punico litore quasi arx et specula procurrit.* Cf. 96,12 *prima civilis belli arena Italia fuit . . . prima Arimino signa cecinerunt.*

40,1	*domus* *sedes et patria*	*sedes domus et patria*	*sedes et domus et patria*

Praestat lectionem NVv retinere (104, 8—15; 82, 11 N). Capua enim—et iterum rhetorem agnoscimus—primum *sedes* appellatur, deinde *domus*, postremum *patria*: sedes, ubi aliquis e s t; domus, ubi v i v i t; patria, ubi n a t u s e s t. Loci ab Halmio allati (praef. IX) cum hoc loco non debent comparari et ob alias causas et quia sibi non constat cod. B: cf. 42, 9 et 64, 15.

Transeamus ad praef. XXII — XXIII:

	B	X	N
16,25	*inlatam*	*am* *inlatum*	*inlatumam*

In Vv *illatam* = B

44,25	*sipylum*	*sipylum* *spilum*	*sipylum et spilum*
In Vv	*sipilum* vel *sipylum* = B		

45,24	*capitis errore* *lapsaret*	*capitis errore* *iactaret* *lapsaret*	*capitis et iactaret* *errore lapsaret*
Vv =	B.		

92,24	*paenitentia*	*pestilentia* *paenitentia*	*paenitentia pestilentia*

Pestilentia in solo cod. N fortasse ad illustrandum vocabulum *morbo* a librario adiectum male receptum est.

In Vv idem habes, quod in B. Quae in N vitiose scripta sunt, non in aliis eiusdem classis libris reperiuntur.

24,21	*senatum regum esse*	*deum* *senatum regum* *esse*	*senatum regnum* *deum esse*

In Vossianis *senatum regnum esse.* Sed totam sententiam ascribam : *urbem templum sibi visam, senatum . . . . esse.* Vocabulo *templum* pulchre oppositum est *regnum.* Et templum deorum est, regnum hominum (regum).

Plut. Pyrrhus 19 ὡς ἡ σύγκλητος αὐτῶν βασίλεων πολλῶν συνέδριον, Liv. 9,17,14 *senatus ille, quem qui ex* regibus *constare dixit unus, veram speciem Romani senatus cepit.* Est igitur βασίλεων συνέδριον et illud *ex regibus constare* idem quod Florus brevissime *regnum* dicit; cf. et Eutrop. 2,13,3 : *Cineas dixit regum se patriam vidisse,* Amm. Marc. 16,10,5 et Flor. 79,10 *senatu regente provincias.* Sequar lectionem codd. Vv.

30,15	*insessum ab hostibus*	*infestum* *insessum ab* *hostibus*	*infestum et incessum* *ab hostibus*

Vv = N, nisi quod in N *incessum* legitur. In Liv. per. 17,5 hic tumulus est *locus a Poenis circumsessus* (cf. Liv. 22,60,11). Sed Florus, quod saepius facit, sermonem suaviter aures tangentem et lectorem delectantem (paronomasiam) incorruptae rerum fidei anteponit. A vocabulo **in***festum* ad **in***sessum* ductus est : Cf. 123,17 *aut pax fuit aut pactio*, 89,9 *saevius-saevitur*, 118,21 *invisum atque inaccessum*, 119,11 *inprovidum-ex inproviso*, 119,16 *insultatione-intolerabilius*, 90,10 *acrior-alacrior*, 83,6 *unum ex omnibus . . . . ex omnibus unus*, 83,18 *regum-regere*, 84,6 *in malis maior.*

At quid opus est omnia pertractare? Hoc mihi videor iam consecutus esse,

ut intellegant aequi iudices Iahnium partim vitia Nazariani pro vitiis totius classis habuisse, partim sermonis proprietates non satis attendisse.

Neque in iis, quae sequuntur, Iahnio astipulamur.

	X	N	B
	ageret		
44,10	*ducem gereret*	*ducum genere agere videretur*	*ducem generet.*

V : *ne non aliquo ducem genere agere videretur*, v = N.

B : *ne non aliquod genere ducem generet* (ordo mutatus est, quod apparet ex *aliquo(d)ducem* *Ducem agere : matrem agere* 6,14 [1]). Neque B neque Nv veram lectionem praebent, sed unus Vossianus 77.

	X	N	B
	vexillum		
86,15	*ad auxilium vocatis*	*ad vexilium ad auxilium vocatis*	*ad auxilium vocatis.*

V : *ad vexillum vocatis,* v : *ad vexillum et a. v.*, H: *ad v.* **in** *a. v.*

Videmus lectionum varietatem. Constat in altera utra classi interpolatoris manu aliquid aut additum aut deletum esse et in B vocabulum difficilius intellectu eiectum. Vocabulum enim quod est *vexillum* propria significatione apud Florum 82,11 et 74,23 legimus [2]). Et quid est *ad auxilium vocare?* Dicebant, ut opinor, **in** *auxilium vocare.* Illud *in* facile omitti poterat post *vexilla*, *vexillum* vel *vexillu* et hinc fortasse vitium irrepsit in libros manu scriptos. Itaque factum est, ut *ad* interponerent. *Ad vexillum in auxilium vocantur servi* i. e. evocantur ut sub vexillo auxilium ferant: cf. 42,17 *aderat in auxilium A.*, 9,4 *missi in auxilium*, 112,18 *sollicitaverat hostes in auxilium*, 79,3 *cuius in auxilium comparata est.* Congregantur igitur sub vexillo ut in Caes. B. G. 6, 36 et 40.

De hac re cf. etiam Nipperdeius ad Tac. ann. I, 17 et ipse Florus 85,19 *familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat;* 83,15 *cum omne robur . . . sociorum sub suis quisque signis haberent municipalia illa prodigia.*

	X	N	B
	as-		
53,20	*summae vir au-* *tut* *daciae*	*summus vir astu-* *tus et audacia*	*summae vir au-* *daciae*

V : *summus vir astu et audatia* v : *s. v. astutus et audatiae.*

[1]) Krebs-Schmalz, antibarb. 120.

[2]) Annii Flori verba (XLIII Iahnii) *nam praeter Caesaris vexilla, quae portant triumphos* hic non neglegenda mihi videntur.

Iam perspicitur omnium lectionum verissimam esse, quam V servavit. Quanta audacia B grassatus sit, vix est quod moneam.

* * *

Quis ex paucis quidem illis locis, quos supra examinavi, debile esse artis criticae fundamentum librum Bambergensem non videt?

Corruptelas in Flori libello esse permultas, quae ex communi archetypo ortae sunt, Iahnium non fugit. Quod cum ex magna lectionum discrepantia tum ex locis misere obtruncatis elucet. Quapropter saepius ad coniecturas decurrere opus erit, cum omnibus auxiliis destituti Mercurio et Apolline auspicibus ingenii acumine vel divinandi facultate, quae caligine premuntur, quasi magica quadam arte evocare et exprimere cogemur. Adiungemus ex sescentis exemplis perpauca:

5,7 Iahnii (3,7 Halmii) *tot in laboribus periculisque iactatus est* B. Sed praepositio *in* delenda cum NVvH et Tac. ann. 14,53 *periculis iactatus* (Egenus 4, qui nihil mutavit); haec a Floro ex Tacito esse desumpta veri simillimum est.

5,16 (3,18) *unum* B, eiciendum censeo, quia populus romanus cum aliquo homine comparatur, non multitudo hominum uni homini opponitur, id quod supra v. 6 factum est: *non unius populi, sed generis humani fata.*

5,19 (3,21) *quattuor gradus processusque eius inveniet* VvN.

De rhetorica Flori (et Taciti) orationis indole Egenus 47 disputavit affertque utriusque scriptoris testimonia neque in iis, quae dixit de figura, quae est Hendiadys, hunc locum commemorans. Quid est *gradus processusque*? Populus romanus progrediente aetate non solum ad novum gradum pervenit, sed etiam pro*cedit* i. e. auget et imperium et potestatem. Ad haec respiciens Florus 75,9: *haec est illa tertia aetas populi romani transmarina, qua Italia progredi ausus orbe toto arma circumtulit.* Est igitur idem quod Cicero Brut. 65,222 dicit: *gradus tuos et quasi processus dicendi studeo cognoscere,* quae Georges germanice vertit: fortschreitender Stufengang; Sextus quoque Rufus 3 utitur verbo procedendi: *sub regibus septem romanum processit imperium.* Processus et procedere hoc differunt a progressus et progredi, quod illa potissimum ad prosperum rerum eventum spectant; cf. Kritzius ad Sall. Iug. 85,5: *quippe mea bene facta rei publicae procedunt*; Cic. Brut. 272: *tantos processus efficiebat, ut evolare! non excurrere videretur*; B. Alex. 29.

5,20 (3,23) *prima aetas sub regibus fuit prope CCCC per annos quibus*

circum ipsam cum ipsam cum finitimis luctatus est [1]) NvH; *circum urbem ipsam* B; *circum ipsam matrem* V.

Suspicor: *circum ipsam* < *urbem*, *cir-* > *cum* < *matrem* > *cum.*

Alio quoque loco (83,13) Roma mater appellata est: *postremo Italia contra matrem ac parentem suam.* Praeterea anaphoram non a Flori libello alienam esse satis constat [2]). Huius figurae vestigia in *circum . . . cum* servata sunt.

5,18(3,20)* [3]) Vocabula *iuventas* et *iuventus* apud Florum:

Nom.	*iuventas*	(6,3 VvNH)	= aetas iuvenilis (B?)	
	iuventas	(11,6 lib. omnes)	= dea	
	iuventas	(28,21 „)	= aetas	
	iuventus	(37,23 „)	= iuvenes	
Gen.	*iuventutis*	(5,18 Vv)	= aetatis	
	iuventae	(BNH)		*iuventae* et *iuventutis* = *aetatis.*
	iuventutis	(6,19 BVH)	= aetatis	
	iuventae	(vN)		(vN?)
	iuventutis	(31,11 l. omnes)	= iuvenum	
Abl.	*iuventute*	(6,8 „)	= aetate	

Est igitur in omnibus libris *iuventas* = *aetas*, nisi quod B (6,3) semel *iuventus* pro *iuventas* et vN (6,19) *iuventae* pro *iuventutis*. Quidquid autem in lectionum discrepantia eligis, haud facile enuclees, utrum (5, 18) *iuventae frugem* B, an *iuventae florem* NH, an *iuventutis florem* Vv Floro addicas. Toto Flori libello *frux* metaphorice, ut ita dicam, ne plurali quidem numero invenies : 46,8 *frugum semina*, 64,23 *Athenas urbem*, *frugum parentem*, 84,21 *terra frugum ferax.*

Flos = ἀκμή, robur, decus: 26,13 *quodam flore virtutis*, 90,18 *equestris ordinis flore*, 99,23 *flos omnis et robur Italici sanguinis.* Sed haec testimonia quanti sunt? Conferamus Livium, qui *frugem libertatis* et *florem aetatis* et *florem iuventae* dicit [4]). Quid igitur nos facere oportet? An lectionem *iuventae frugem* B utpote multo difficiliorem retinere? At vide sis audaciam eius, qui haec mutavit:

---

[1]) Variae lectiones vix dignae sunt, quae commemorentur.

[2]) Egen 48.

[3]) * = cf. tabulam.

[4]) 2, 1, 6; Drakenb. ad Liv. 8, 28, 3.

	Legendum:	B mutavit in:
6,11	*abiectus*	*iactatus*
10,30	*cui Gabii(s)*	*quo a Gaviis*
24,28	*victorem pop. romanum*	*exercitum pop. rom.*
36,31	*ad constitutum*	*ex constituto*
62,1	*ac repercussu*	*aere percusso*
63,1	*nihil interim per id omne tempus*	*n. i. per imperium donec tempus*
10,5		*ea sumpta sunt* add.
13,8	*regnis*	*regibus*
15,9	*egregia virtute servavit*	*egregia victoria recuperavit*
31,28	*acrior infestiorque* (Sall. Iug. 27)	*acrior intentiorque*
37,21	. . . . . *Romanus*	*permissum est* . . . *Romanis*
42,7	*sociaverat*	*sotium iunxerat*
49,2	*invictusque*	*invalidusque*
86,17	*prima velut ara viris*[1])	*prima sedes velut beluis*
90,2	*quid funerum*	*quantum id funerum*
117,19	*patentibus*	*iacentibus*

Et permulta alia sunt, quae, qui scire velit, facile ex tabula possit eruere. Nec sunt eae interpolationes, quae oriantur ex male intellectis vel ex corruptis vocabulis, sed consilio quodam et ratione mera mutandi libidine inductus librarius, quod ei arridebat, immiscuit. Itaque veri simile est etiam hoc loco aliquid falsi subesse. Fateor equidem neque auctoritatem librorum manu scriptorum neque scribendi genus vel Flori vel aliorum rem ad lucem posse perducere.

7, 13 (5,3) : *Sabinis proditae portae per virginem Tarpeiam nomine. non dolo sed (nec dolo(s)sed)* (Liv. 1, 11, 9). Lectio depravata est ex scriptura archetypi continua. Est magna similitudo inter priorem partem Flori epitomae et auctoris de viris ill. [2]) 2,6 : *illa petiit, quod illi in sinistris manibus gerebant, videlicet anulos et armillas : quibus dolose repromissis Sabinos in arcem perduxit* (Liv. 1, 11, 6). Illud *dolose* igitur substituendum est; quae praecedunt in libris mss. *non, nec* orta sunt aut ex *nomine* aut ex scripturae compendio.

13,2 (9,31) : *quippe cum patrii soli glaeba nulla, sed statim* BV; in ceteris

[1]) Cic. pro Rosc. com. 11.
[2]) Rosenhauer, l. l. p. 12, qui hunc locum omisit.

codd. corruptela est sive quod *set* in *sit* mutaverunt (Nv), sive quod *sit* ante *set* posuerunt (Iordan. libri). De ellipsi praedicati cf. Thomeus 11, de *quippe cum* disputavit Opitzius 10. Videmus codicem V solum Bambergensis esse comitem.

15,22 (12,3)* *satis superque idonea clades* NVv, *nota clades* B mutavit.

17,4 (13,10) *Galli . . . . . per Italiam vagabantur* (omnes l.), sed Iordanes *baccabantur* (sic) quo verbo iam Orosius 7, 37, 8 usus erat : *duo . . . Gothorum populi per Rom. provinciam bacchabantur* et Claudian. Bellum Get. 154 : *Hannibal. . . .* | . *per latus Italiae ferro bacchatus et igni.* Nescio tamen utrum Iordanes ita legerit in suo exemplari an casu factum sit ex *bacabantur* (commutantur perpetuo *b* et *v* a Iordane p. 168 Momms.) *bacchabantur.*

23,2 (18,11) : *aput Heracleam et Campaniae(-ie) fluvium Lirim (Lyrim)* NVv, *aput Eracleam Campaniae fluviumque Lyrim* B, et 25, 4 : *tota*(m) *tremente*(m) *Campania*(m) *Lirim Fregellasque populatus.* Qui fit ut in Campania illud flumen inveniri Floro visum sit, narrare supersedeo, sed in eam regionem Heracleam ab eo deductam esse vix credas. At Orosius, qui Florum in conscribendis rebus belli Tarentini sequitur, aperte dicit (4, 1, 8): *Itaque apud Heracleam, Campaniae urbem, fluviumque Lirim prima . . . . pugna commissa est.* Cf. Florus 23, 18 et Oros. 4, 2, 3.

30,14 (24,24) : *lecta trecentorum manu* BVv, *lecta atru manu* N. Corrupta ergo lectio cod. N neglegentia librarii orta est. Et iterum 31,10 *terrorem nominis sui* BV(v), *terrorem in omnes sui* N. Quantum in hac opusculi parte VvN codd. debeamus, ex his testimoniis potest colligi:

		B	N	Vv
*[1])	28,22	qui (*omisit*)		
	23		domi-annis (*om.*)	
	29,1	cum ad fretum usque venisset	cum a terra fretum usquenisset	c. a. t. f. usque venisset
*	2	qui cunctas (*cf. tab.*)	quï obvias	N
	6	*cf. tab. et p. 11 supra.*		
*	7	ad continentem suam	ad c. suum (Opitz 14)	N
*	13	sollicitandi praeda (b: sollicante praedam)	sollicitante praeda	N
	20	quod—iuvaretur	*om.*	N

[1]) * = corrupta lectio B.

	B	N	Vv
* 29, 28	forma	fama	N
* 30, 1	valide (*fortasse corruptum ex* alide)	aliae (Curtius 4, 2, 12)	N
* * 8 et 15	*cf. tab. et p. 13 & 14 supra.*		
18	tantae superfuit ut supervixit et nihil	t. superfuit et supervixit licet nihil	N
22	olbiae hic ibi alter (alte : b)	olbiae hic baleriae	obi et hic balerie : V v = N
* 26	defuerant	deerant (Opitz. 14)	N
27	Nautio	Nautrio	Naurio
* 31, 1	imperator quo metu	imperator metu	N
5	*cf. tab.*		
* 13	ipsa	ipsam (Opitz. 3)	N
* 14	paululum	paulum (Opitz. 14).	N
* 18	vincimur foeda	vincimur. tum f. (Goertz. 16.)	N
* 19	cognita	incognita	N

Quarum lectionum, quas B habet, fere omnes repudiandae sunt, quod statim apparebit, si quis rem perquiret; in paucis NVv leviter corrupti sunt.

38,14 (31,8): *quamvis tum pudor servili pugnaret exercitum* B; *q. t. o pudor manu servili pugnaret* Vv(N), et sic legendum.

38,16 (31,10): *sed libertate donati fecerunt (fecerant* NVv) *de servitute Romanos.* Male Salmasius aliique: *fecerunt de servis se virtute Romanos* contra omnium librorum et Iordanis consensum. *Servitus = servi*, de qua re satis cognita Thomeus 5 et Broukhusius ad Tib. 2, 4, 1. Neque Livius 22,57,11 omittendus: *octo milia iuvenum validorum ex servitiis . . empta publice armaverant.* Qui servi utrum eo ipso tempore libertate donati sint (Eutrop. 3,10; App. Hannib. 27) an duobus annis post (Liv. 24, 14, 5. 16, 9) nihil interest nostra. Et *facere* c. acc. et *de* 38,21: *mediamque ae Italia Africam facerent.*

39,29 (32,14): *idem* (pro *iam*) *Tarentinus* NVv, fortasse ex male intellectis compendiis *ā* et *d* cum lineola[1]). Confunduntur enim *a* et *d*: 42,23 *montes sauumque*

[1]) Hic incidit mihi locus, quem Baehrensius quoque olim emendare conatus est: 58,2 *Zamam quidem frustra diuoluit* B (*diu uoluit* NVv). Baehr. legendum esse censuit *frustra advolavit.* Sed legas velim: *frustra involvit* sc. *exercitu*, ut Sall. Iug. 52: *cuncta moenia exercitu circumvenit*, 61: *M. postquam videt frustra inceptum.* De *involvere*, quo verbo Florus ipse usus est (*ruina involvere* 66,2), Verg. Aen. 3, 198: *diem involvere.*

B, *montes dunque* NVv (per haplographiam pro (*s*)*aunque* et sic Iordanes), 72,1 ex *haedui de* factum est *hae auide*, deinde *haec auide* N..

